

*ner benevolentia mihi preſto fuit, & quacunq; ratione po-
 tuit, in inſpiciendo & corrigendo ordinem meum Scholaſticum,
 & me ornando, auxiliaves manus mihi præbuit. Unde longe
 plura, quam Epistolæ illæ produnt, fuiſſe hujusmodi beneficia,
 in Helingum a Philippo collata, in proclivi eſt colligere. Hinc
 etiam latere non potuit, quin ab aliis quoque Helingi opera
 expeteretur, cum ſpe certiffima altius emergendi, pluribusque
 pro ſua dexteritate inſerviendi. Nam dum in Iſlebienſi Gym-
 naſio ornando maxima, qua potuit, induſtria, elaboraret *Steti-
 num Pomeranortum*, Philippo itidem, ſeu ſignificante tantum,
 ſeu etiam patrocinate, accerſitus eſt: ubi ex nove conſtituta
 ſchola *Antonius Waltherus*, a) more tunc paſſim recepto, in
 Academiam redire decreverat, ac pæne eo ut contenderet, bel-
 lorum turbarumque tædio, quo tamen morbo ſe ipſum quoque
 laboraſſe Melanchthon ſcripſit, b) compulſus fuerat. Miſſus eſt in
 hunc finem a Principe Pomeraniæ tabellarius, qui a Secretis
 ei fuit, Vir honeſtiſſimus, & primo Wittebergam cum lit-
 teris ad Philippum, inde vero ad Mauricium noſtrum Iſebiam
 porro proſectus, cum eo de conditionibus egit, quibus munus
 delatum reciperet. Imo vero ne ſolus eo commigraret, jam adjun-
 xerat, ſi placeret, abituro Melanchthon Caſparum Cruzige-
 rum juniorem proſectionis & operarum Scholaſticarum comitem:
 atque hinc omnino videtur optaſſe, ut res deſtinata ſuccede-
 ret. At tamen non proceſſit inſtitutum. Cujus rei cauſſam
 ignoramus, niſi forte ea ſit, quam ipſe noſter brevibus ſigni-
 ficavit c) quando *alibi vocationem ſuam per homines turbulen-
 tos impeditam eſſe conqueſtus eſt.* Niſi veroliſſimus ſit, quia
 de*

- a) Quem etiam illuc rediſſe ſcripta publ. Acad. Viteberg. teſtantur: ubi A.
 1556. ejus Programmata geminum tanquam Decani Philoſoph. Ord. pro Ho-
 noribus Magiſterii diſtribuentis legitur V. 5. & X. 8.
 b) Ep. Philipp. T. V. p. 331. Ed. Saub.
 c) Lib. Verſſ. Praef. A. 3.